

vi consequentiæ formalis, seu legitimæ dispositionis, à quâ pendet consequentia formalis.

Consequentia materialis est, quæ syllogismo vi solius materiæ inest.

Ejus canones in genere sunt octo:

1 *Quidquid stat (hoc est, verum est) cum antecedente, stat etiam cum consequente; sed non contrà.*

Exempli gratiâ, si est homo, est animal; sed non contrà, si est animal, est homo.

2 *Quidquid repugnat consequenti, id etiam necessariò repugnat antecedenti; sed non contrà.*

Verbi gratiâ, si non est animal, non est homo; non autem, si non est homo, non est animal.

3 *Ex quocunq; sequitur antecedens, ex eo etiam sequitur consequens.*

Verbi gratiâ, si homo est animal, & animal est substantia, etiam homo est substantia. Sed hic canon valet in rebus essentialiter sibi subordinatis, terminis item propriis & proto-noëmaticis. Non enim est consequens: Si Christus est vitis & vitis est arbor. Ergò etiam Christus est arbor. Nec valet: Si homo est animal, & animal est genus. Ergò homo etiam est genus.

4 *Ex veritate axiomatis universalis affirmati, sequitur veritas axiomatis particularis affirmati, & falsitas universalis negati.*

Exempli gratiâ, si verum est, omnem creaturam suâ naturâ esse corruptibilem; sequitur etiam verum esse, quandam creaturam esse talem; & falsum, nullam creaturam esse talem.

5 *Ex veritate axiomatis universalis negati sequitur veritas particularis negati, & falsitas universalis affirmati:*

Ut, Si verum est, nullam bestiam esse rationalem, sequitur verum etiam esse, quandam bestiam non esse rationalem; & falsum, omnem bestiam esse rationalem.